



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Quæ sit vera pr[a]edicatio pœnitentiæ 10

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Secunda Pars.

Quenam sit vera prædicatio Pœnitentiæ?

CAP. X.

Alterum, quod Aduersarij in libro Reformationis reprehendunt, est librum Reformationis de ea tantum prædicatione Pœnitentiæ docere, quæ primæ ad Christum conuersioni propria ut: omittere verò eam, quæ ad eos peculiariter pertinet, qui post primam conuersionem denudò sunt in peccatum prolapsi. Quam scribunt resuscitari & restaurari debere commemoratione & exercitatione spiritualis legis vitæ in Christo Iesu, quæ nobis in Baptismo implantata sit, non ministerio legis Mosaicæ. Scripturam item sacram Christianis non Mosen proponere ob oculos, verum potius voce illaui, *memento unde excideris, & age pœnitentiam.* &c. Apoc. 2. Item, *ô insensati Galata, quis vos fascinavit, ut non obediretis veritati? Ante quorum oculos Christus Iesus præscriptus est, & in vobis crucifixus,* Gal. 3. & quanto maiora merentur supplicia, qui Filium Dei conculcant, &c. Heb. 10.

Responsio.

Iam qui inter librum Reformationis & Accusatores eius iudicare volet, is legat, quid de prædicatione Pœnitentiæ doceat, & per quid excitari peccatorum pœnitentiam velit. Præcipuum argumentum homines ad pœnitentiam promouendi, docet desumere, ex acerbissima morte & passione Domini nostri Iesu Christi, in qua perspicuum est videre, quàm abominanda res sit peccatum in conspectu Dei, quantoque pretio nos ab eo liberati ac redempti simus, videlicet morte ac passione vnigeniti Filij Dei: cuiusmodi item vitam qualia opera à nobis Dominus requirat. Nunquid hoc est docere pœnitentiam Christianis propriam ac peculiarem? Legatur iste articulus libri, & erit abundè, vt magnam istorum hominum propensionem ac procliuatatem, claram Christi doctrinam nullo prætextu, nullaque probabilitatis specie oppugnandi, miremur. Totus enim iste articulus nihil tan operè vrgendum docet, vt homines ad pœnitentiam inuitentur, quàm illud ipsum quod aduersarij commemorant: aded vt etiam eundem locum ex 10. cap. Heb. adducat, qui ab ipsis citatus est. Sed quoniam Clementiss. Dominus noster hæc tradit, non autem ipsi, mala & impia sint

et.
 Quæque omnia quæ in lege Mosaica scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, sitque non Mosis sed Dei lex quam Christus Dominus & Apostoli quoque fidelibus proponunt, quare non debeat liber Christianis hanc legem Dei proponere & inculcare, vt eos hoc pacto ad pœnitentiam peccatorum exsuscitet? Quod si cognitio legis ad veram peccatorum pœnitentiam etiam in Christianis excitandam, non valet, quare tanta adhibetur diligentia, vt tam iuniores
 quàm

quàm adultiores decem præcepta discant, & proprium ac genuinum eorum intellectum sibi confirment? Quare etiam homines ex eis edocti fuerunt confiteri?

Moses quidem nihil ad Christianos pertinet, neq; illis cum coactione & condemnatione legis proponi debet, posteaquam Christus Dominus liberum ac spontaneum spiritum ad bonum illis impertiit, & condemnationem legis amouit. Sic etiam liberi sunt à lege Mosaica, quantum ad ceremonias & externas ordinationes veteris tabernaculi ac politia attinet. Caterum quòd de lege Mosaica in duobus mandatis de diligendo Deo & proximo comprehensum est, id diligenter omnes Christiani intueri debent, ex eoque quotidie peccata sua magis discere confiteri, seque ad pœnitentiam excitare, quam ex agnitione peccatorum, & seueri iudicij diuini contra peccata, quæ vtraque lex docet, existere oportet. Ad hanc rem Dominus ipse & Apostoli eius legem vsurparunt. Expendatur quomodo Dominus etiam fidelibus suis legem explicauerit Matth. 5. Item quod D. Apostolus de lege scribit. Rom. 7. Corinth. 10. & multis aliis locis.

Aduersarij dicunt, pœnitentiæ prædicationem quæ fidelibus impenditur, fieri debere commemoratione & excitatione spiritualis legis, vitæ in Christo, hoc est spiritus Christi, per quem in fide ab omnibus peccatis abhorremus; cupimusque vitam nostram ad omne placitum Dei comparare. Caterum quo alio modo excitandus erit ille Spiritus in Christianis, nisi commemoratione accerbissimæ mortis ac passionis Christi, ac declaratione legis diuinæ, quemadmodum Liber Reformationis docet.

Postremò docent Aduersarij in hac accusatione, Homines ad pœnitentiam excitari & renouari debere vocibus quas introduxerunt, de reuertendo ad Deum, non autem nuda lege Mosaica. At vbi docet Liber, Salam & nudâ legem Mosaicam ad id adhibendam esse? Sed hoc potius docet, totum Euangelium ac commemorationem passionis Christi ad id præcipuè vsurpandam esse. At quis hic morbus est accusandi & reprehendendi, in quo nihil vituperari vitiòque verti potest?

Tertia Pars.

De Satisfactione pro peccatis.

CAPVT XI.



ERTIÒ reprehendunt Librum, quòd non meminerit Satisfactionis, quæ tamen ad Pœnitentiam Christianorum requiratur.

Responsio.

Hoc loco rursus manifestam iniuriam faciunt Libro, magisque seipso quàm Librum damnant. Nam in Articulo de Conuersione à peccatis, ac vera pœnitentia, &c. Satis ac solidè docetur de vera